Quod prudenti consilio a summis scholarum moderatoribus institutum est, ut, qui celebranda Gymnasii sacra anniversaria indicturi essent, scripta quadam de re, quae ad literas pertineret, disputatione bonarum artium amatores ad illa frequentanda invitarent; id ego officium, quum ex ordine delatum ad me esset, ita exsequendum mihi putavi, ut de locis aliquot Ciceronis, Horatii, Sophoclis, quorum aut integritas suspecta, aut explicatio difficilior vulgo habetur, meam dicere sententiam auderem. Qua in re si cui videar reprehendendi materiam in summis viris quaesivisse, ut, quantum de illorum laude detrahere potuissem, tantum mihi adrogarem, erit illud quidem haud leve opprobrium, sed eiusmodi tamen, quod aequo animo ferri posse a me existimem. Neque enim cuiusquam ego, dum meo ipsius iudicio aliquantum tribuo, aut nomini possum officere, aut violare verecundiam volo; nec, quae antiquarum literarum aperit studium, tam angusta sunt et sterilia curricula, ut non cuilibet et currendi spatium detur, et alicuius proponatur palmae spes. Itaque hoc ego in certamine sic versatus sum, ut nullius auctoritate nominis ab instituto cursu deflecti me paterer, sed grato tamen animo eorum agnoscerem merita, qui suis laboribus hanc mihi viam patefactam et munitam reliquissent. Eorum autem in numero sunt viri quidam gravissimi, omnibus et ingenii et doctrinae divitiis affluentes, quorum posita in iisdem rebus nava

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

diligentique cura ita in his meis lucubrationibus adiutus sum, ut, si quid rectius illis vidissem, id illorum quasi oculis me vidisse putarem. Quapropter si quid illi protulisse me iudicaverint, ex quo ipsi fructum quendam laborum suorum percipere sibi videantur, iucundissimum sane tale mihi iudicium erit; sin quid secus statuerint, quod diversam ego rationem probare conatus sum, nec tantis viris offensioni, nec mihi, spero, invidiae erit.

Primum autem me converto ad Ciceronis orationem pro Sulla. Ibi cap. 7. sect. 21. haec leguntur:

> *Hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse. — Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei: in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui: quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, sed non permissum.*

Ante Orellium vulgo legebatur: *sed non permissum*, quod explicant: regnasset enim Catilina, nisi conatus eius repressi essent. Qua ego in ratione dicendi et diligentiam Ciceronis et ingenii acumen desidero. Non dico, quantopere frigeat illa oppositio: *non institutum est a me, iudices, regnum, sed Catilinae non permissum;* quamquam et hoc erunt qui mecum sentiant. Illud dico, Ciceronem, si regni suspicionem a consulatu suo abesse vellet, probare id debuisse non eo, quod Catilinae ullum regnum non permisisset, sed quod omnis omnino potentiae, civilem modum excedentis, adversarius ac repressor exstitisset. Quid igitur statuendum? Codex Palatinus nonus, quem praestantissimum judicat Gruterus, habet *sed repressum*, quod probavit Gruterus, receperunt Graev. Schuetz. Orell. Klotz. Eamque lectionem, quum et ipsa per se, quo se commendet, habere videatur, et tantorum virorum probetur iudiciis, lubenter equidem amplecterer, nisi alia et gravior obstare ratio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videretur. Falluntur enim, qui iam id agi a Cicerone existimant, ut consulatum suum omni omnino regni invidia liberet; concedit, regnatum esse a se, sed ex senatus consulto. *An tum*, inquit, *in tanto imperio, tanta potestate, non dicis me fuisse regem, nunc privatum regnare dicis?* Quorum verborum haec tantummodo sententia esse potest: Si diceres, tum, quum tanto imperio tantaque potestate uterer, regem me fuisse, verum quidem dicere videreris. Sed iam non hoc, sed privatum me regnare dicis, in quo manifesto falsum dicis. Regnaverat autem Cicero ex senatus consulto, quo iubebantur consules dare operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Accedit altera ratio, quam infirmiorem non pauci putabunt, ego gravissimam esse existimo, quod, si *sed repressum* Cicero dixisset, nullus librariorum non de Catilinae regno represso cogitaturus fuisset. Unde igitur tanta lectionis discrepantia? Nam in Codd. legitur: *sed permissum, sed non permissum, sed repulsum, sed promissum, sed repressum.* Sed plerique tamen, in quibus Palatini meliores, habent *sed permissum*, quo ego nescio quid aut ad loci sententiam dici potuerit accommodatius, aut ad loquendi consuetudinem quid rectius. *Mihi* enim intelligendum est: Quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, sed permissum illud mihi a senatu est. Ita autem loquitur invidiae levandae caussa, fere ut antea: *in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui*; ubi qui recte verba pronuntiare voluerit, is *ego* et *nihil* acuta voce pronuntiare debebit. Nam sententia est: quidquid imperatum est in meo consulatu, id non a me, sed a patribus conscriptis, quorum ego voluntati parui, imperatum est. Pari modo in verbis: *quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, a me* quodam vocis sono efferendum esse, ipso verborum ordine probatur. Sententia est: Institutum quidem regnum est, non tamen a me, sed a senatu et ab omnibus bonis; non ego

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

auctor eius fui, (id enim iam est *instituere*,) sed ipsi patres conscripti, qui illud mihi regnum permiserunt. Omitti posse casum pronominis, qui ex praecedenti pronomine facile potest intelligi, docet Ramshorn. Lat. Gr. pag. 978 sq. ubi ille laudat Cic. Fin. 5, 14: *Non est alienum, ut animantibus, sic vitibus et apta quaedam ad naturam putare, et aliena*, pro, et aliena ab ea. Orat. 1, 15, 69: *si modo erunt ad eum delata et tradita*, pro, et ei tradita. Fam. 13, 4, 6: *Haec eo spectant, ut te horter et suadeam*, pro, et tibi suadeam.

Sed videtur hoc dici posse, verborum *non institutum est a me, iudices, regnum, sed permissum*, ipsam prodere constructionem, in *permissum* intelligi debere *a me: non institutum est a me, sed permissum*, scil. *a me*. Nego. Repugnat enim cum oppositionis ratio, tum verbi *permittere* hac in re notionis proprietas. Nam quod dicit Cicero: *non institutum est a me, iudices, regnum*, ipsa oppositionis vi significat, institutum esse regnum ab aliis. A quibus autem institutum dicat, declarat verbis: *in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui*. Accedit, quod *permittere* proprium ac legitimum est vocabulum, quum *senatus sine populi iussu* sive consulibus sive aliis magistratibus maiorem quandam potestatem committit. Liv. 27, 10, 2: *permissum ab senatu iis quum esset, agerent, facerentque, ut e republica ducerent*. 29, 10, 4: *ea consuli a patribus facienda, ut e republica fideque sua duceret, permissa*. 22, 37, 13: *permissum est, ut, si e republica censeret esse, in Africam traiiceret*. 24, 14, 5: *de eo permissum ipsi erat, faceret, quod e republica duceret esse*. 33, 45, 3: *faceret, quae e republica censeret esse, permiserunt*. 27, 22, 11: *Supplementum, quo opus esset, scriberent consules, permissum*. 32, 1, 3: *in supplementum eius, quantum militum videretur, ut scriberet, ipsi permissum*. 35, 20, 4: *Huic consuli permissum,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut duas legiones scriberet novas. 40, 26, 6: *permissum, ut, qua irent, protinus subitarios milites scriberent.* Imprimis autem *permitti* consulibus tum dicebatur potestas extraordinaria, quum iubebantur dare operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Cic. Cat. 1, 2, 4: *Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. — Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus permissa est respublica.* Sallust. Catil. 29, 2: *Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.* Quaecunque igitur permittebatur potestas extraordinaria, ea a senatu permittebatur, nec a quo permitteretur, ullus Romanorum monendus erat. Quodsi Cicero dicit, regnum in consulatu suo permissum esse, manifestum est, permissum fuisse a senatu. Hanc vero notionis proprietatem quum librarii ignorarent, alii negandi particulam addiderunt, alii *repressum*, et quidquid in mentem venit, correxerunt.

Ibid. 19, 55.

At praefuit familiae Cornelius.

Accusator, ut Sullam Catilinae socium fuisse probaret, ad indicium confugerat C. Cornelii, qui dixerat, gladiatores a Sulla emptos esse ad caedem et tumultum. Comparatam autem a Sulla esse familiam gladiatorum, vel inde apparere dicit, quod Sulla eidem praefuerit. Quomodo igitur Cicero: *At praefuit familiae Cornelius?* Non enim Cornelius gladiatorum familiae praefuisse ab adversariis arguitur, sed ille ipse, quem Cicero defendit, P. Sulla. Praefuisse autem arguitur a Cornelio, quem iam ipsum, si sana esset lectio,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praefuisse familiae perverse Cicero affirmaret. Fuere, qui putarent, *Cornelium* iam dici ipsum Sullam, quod Sullae ex gente Cornelia fuissent. Sed ille, quem Cicero defendit, nunquam Cornelius appellatur, semper Sulla. Orellius Cornelium intelligit libertum aliquem P. Sullae, legendumque suspicatur: *At praefuit familiae Cornelius P. L.*, h. e. Publii libertus. »Ridicula enim, inquit, haec et insana fuisset calumnia, hominem tum nobilissimum, tum afflictum iudicio et forum ipsum et campum iamdiu devitantem, praefuisse familiae gladiatoriae.« Ille igitur indignum fuisse putat homine nobilissimo, gladiatorum familiae praeesse, quum tamen constet, paucis annis post a senatoribus Romanis etiam disciplinam eorum susceptam esse. Sueton. Caes. 26: *Tirones neque in ludo neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos atque etiam per senatores armorum peritos erudiebat: precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent.* Horum nihil a Sulla factum esse legimus; ille *praefuit* tantum familiae, h. e. domini vice functus est. Praefuisse autem Sullam, nec alium, Cornelius indicaverat. Probant hoc insequentia Ciceronis verba: *Iam si in comparanda familia suspicio est nulla, quod praefuit, nihil ad rem pertinet.* Quibus verbis manifesto Cicero concedit, ipsum Sullam praefuisse, ut iure quaerat Matthiae: »Quis credat etiam, verba *in comparanda familia* ad Sullam spectare, *praefuit* ad Cornelium?« Res clara est: praefuit Sulla, nec Cornelium eum aut usquam Cicero nominavit, aut hoc loco nominare potuit, ut non in gravissimam obscuritatis reprehensionem incurreret.

Unde igitur in tam expedita re verborum tanta impeditio? Equidem non adeo magnam eam putaverim. Omnis enim huius loci difficultas, si qua est, uno commate removetur, quod ponendum est post *familiae;* nam ante *Cornelius* omissum est *inquit*, quod quam saepe omittatur, nemo est qui ignoret. Vide Ramshorn. Lat. Gr. pag. 983.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Zumpt. §. 772. Sed hic obiicere aliquis mihi possit, Cornelii nomen omitti debuisse, quia nec supra adiectum. Video. Sed diversa tamen huius loci ratio est. Dixerant adversarii: *Nec opinante Fausto, quum is neque sciret, neque vellet, familia est comparata.* Ad haec Cicero: *At literae sunt Fausti, per quas ille precibus a P. Sulla petit, ut emat gladiatores, et ut hos ipsos emat; neque solum ad Sullam missae, sed ad L. Caesarem, Q. Pompeium, C. Memmium, quorum de sententia tota res gesta est.* Huic confutationi novum accusatoris argumentum adnectitur: *At praefuit familiae.* Itaque et Ciceronis refutatio et accusatoris insimulatio per eandem particulam *at* inducitur. Ambiguum igitur videri poterat, cuius ea essent verba, *at praefuit familiae*, defensoris, an indicis. Quod ne obscurum esset audientibus, additum hic est, quod antea non erat necessarium, indicis nomen. Idque praeterea hanc etiam ob caussam a Cicerone factum esse arbitror, quod, quae praecedit Ciceronis confutatio paullo longior, videri poterat animos audientium ab instituta sermocinatione deflexisse. Unde prudenter ille: *At praefuit familiae, Cornelius.* Ubi nullo modo poterat ambiguum esse, quid sibi vellet illud *Cornelius*, quum ipsis verbis Cicero statim in exordio huius dialogi dicat: *Quid ergo indicat — Cornelius?*

Ibid. 22, 63.

*Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus; primum Caecilius, * qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur: Sulla recte reprehendit.*

Caecilium Cicero laudandum dicit, quod levare fratris calamitatem voluerit lege de ambitu ferenda; Sullam, quod auctoritate sua Caecilium fratrem ab illo consilio deduxerit. Hactenus omnia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

clara. Sed pergit Cicero: *primum Caecilius, qui — reprehendit.* quibus in verbis contineri mendum aliquod, in oculos incurrit. Consentiunt tamen libri omnes praeter Cod. Pal. sept., in quo pro *Caecilius* est *Caecilium.* Henricus quidem Stephanus hanc ex codice suo profert lectionem: *primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo fratris casum levare posset: quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, Sulla recte reprehendit.* idque probat Garaton., recepit nuper Klotz. Sed in dubium vocata est Stephani fides a Grutero et ab Orellio, quorum alter non dubitavit, Pseudo-Codicem appellare codicem Stephani. Ac tantopere profecto, quod ille in libro suo exstare dicit, a vulgata lectione recedit, ut, si vel certa sit Stephani fides, codici tamen eius quominus credam, religione quadam prohibear reliquorum. Idem accidisse videtur aliis, qui agnoscunt quidem lacunam, sed quae expleri tamen non possit. Unus Lambinus edidit: *primum Caecilius, qui fratris calamitatem levare poena legis mitiganda voluerit, laudem meretur: deinde Caecilium, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut Sulla restitueretur, Sulla recte reprehendit.* Pantagathum ita correxisse refert Ursinus: *in qua re est utique laudandus per eum Caecilius, qui si promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut restitueretur Sulla, recte reprehendis.* Ferratius malebat: *primum Caecilius, qui laboraverat, ut frater restitueretur: deinde Caecilium, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, Sulla recte reprehendit.*

Ego Ciceronis verba incorrupta servata esse existimo in Gruteri codice Palatino septimo, qui ita a reliquis discrepat, ut *Caecilium* habeat pro *Caecilius.* Apparet enim, quo errore librarius, qui primus *Caecilium* mutaret in *Caecilius,* deceptus fuerit. Putabat ille, intelligendum esse *laudandus est,* quod in tanta huius verbi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vicinitate atque in universa sententiae structura mirum videri vix potest. Sed *Caecilium* pendet ex *reprehendit.* Legendum igitur et distinguendum est in hunc modum: *primum Caecilium, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur, Sulla recte reprehendit.* Reprehendit Sulla Caecilium. Quo nomine? Quia id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur Sulla. Sic demum intelligitur, quare coniunctivo *promulgarit* Cicero usus sit; id enim non ex sua ipsius, sed ex Sullae mente dicit. Verbis autem *ut statueretur* quid faciant, plerique se nescire fatentur. Sed *rescindere* et *statuere* opposita sunt. Liv. 21, 58, 7: *nam nec explicare quidquam, nec statuere poterant: nec, quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente.* Cic. Att. 6, 1 init.: *Appius enim ad me ex itinere bis terve ὑπομεμψιμοίρους literas miserat, quod quaedam a se constituta rescinderem.* Dicitur autem *statuere* aliquem pro, facere ut quis firmiter stare possit. Liv. 1, 13, 5: *momentum eius pugnae, ubi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellarunt.* Iam quum *stare* etiam dicantur, qui incolumes sunt, apparet, *statui* aeque atque *erigi* posse dici, qui in pristinum incolumitatis statum restituuntur. Inde haec exsistit loci sententia: *Zuvörderst hat Sulla mit Recht den Caecilius getadelt, dass er Etwas in Vorschlag gebracht habe, womit er dem Anschein nach rechtlich entschiedene Sachen habe umstossen wollen, um ihn aufzurichten.*

Sed desideratur altera sententiae pars: »Deinde laudandus Caecilius est, qui lege sua fratris poenam levare studuit,« vel simile quid. Verum quum eorum, qui latine sciunt, nemo ignoret, quoties reperiatur *primum* nullo sequente *deinde*, hic ego repetere nolo grammaticorum praeceptum toties repetitum. Hoc tantum dico, desiderari quidem sententiam suo loco, non autem omnino desiderari.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Supra enim Cicero: *Atque in hoc loco in L. Caecilium, pudentissimum atque ornatissimum virum, vehementer invectus est: cuius ego de virtute et constantia, iudices, tantum dico: talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consultum esse voluerit fratri, cum republica pugnare noluerit: promulgarit impulsus amore fraterno, destiterit fratris auctoritate deductus.* Inanis igitur loquacitatis potius arguendus foret Cicero, si, quo nomine laudandus videretur Caecilius, id vel tribus praeterea verbis indicasset.

Ibid. 28 extr.

Valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non posse.

Ibi quid valere debeat ad poenam et ad salutem, iure quaerunt omnes. Lambinus dedit: *Valeat haec,* sc. vita. Garatonio melius videbatur: *Valeat ea res;* Orellio: *Ea valeat.* Manutius *vita,* Beckius *vita cuiusque* intelligi posse existimat. Klotzius correxit: *valeat ad poenam et ad salutem vita plurimum, quam* cet. Sunt vero alia etiam, quae suspicionem afferant. Nam *ipsam* cur Cicero hic dixerit, et *vita,* quae ex vi sua naturaque perspiciatur, qualis tandem sit, et quomodo flecti ea fingique possit, iure quaeri posse videtur. At natura hominis ex sua ipsius vi perspicitur, natura flecti fingique potest. Unde legendum censeo: *Valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsa ex vi sua naturam quam facillime perspici, subito flecti fingique non posse,* h. e. valeat ad poenam et ad salutem plurimum sola hominis natura, quam videtis ipsa ex vi sua facillime perspici posse, subito flecti fingique non posse. Redit orator, unde exierat. Supra enim §. 69. dixit: *Neque enim potest quisquam nostrum subito*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fingi, neque cuiusquam repente vita mutari aut natura converti. et §. 73: *accepit P. Sulla, iudices, vulnus vehemens et mortiferum, verum tamen eiusmodi, quod videretur eius vita et natura accipere potuisse.* Quod igitur ibi *vita* et *natura*, id iam simpliciter *natura* dicitur. *Mores* dicuntur §. 69 init.: *nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam.* et paullo post: *quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius, qui arguitur, est ponderandum.* et §. 73. Sullae constantia vitae, dignitas, liberalitas, moderatio in privatis rebus, splendor in publicis, ab ipsius natura inchoata dicuntur. §. 75. denique: *Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio.* Ex quo intelligitur, tota hac defensionis parte promiscue dici *vitam, mores, naturam.* Ceterum simili attractionis genere in eadem oratione Cicero usus est §. 92: *quae prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi.*

Cic. pro Mil. 19, 50.

Noctu, insidioso et pleno latronum in loco occidisset; nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptor locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem; deinde cet.

Magnae hic offensioni fuit *dum*, temporis particula, quae caussam hoc loco significare videretur. Garatonius *quandoquidem* explicat, Huldricus apud Orell. *quamdiu* et *quatenus;* quos refellit Matthiae in Not. crit. ad Cic. Oratt. VI. pag. 388. Schuetz. de Ernestii coniectura *quum*, Klotz. ex codd. *tum.* Matthiae: »Suspicio, inquit, mihi oborta est, ab aliena manu additum esse *dum*, et denuo eiiciendum, praesertim quum in his verbis plus insit, quam in verbis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sustinuisset — locus; de *caeca* quidem *nocte* nihil est in prioribus verbis, neque *muta solitudo* necessario est loci latronum occultatoris.« Hae vel similes rationes etiam Klotzium permovisse videntur, ut *tum* scriberet. A quo quum promissum scriptorum Ciceronis exemplum novum, ipsius cura emendatum, editum fuerit, cognoscent sine dubio intelligentes Latinitatis existimatores, non sine gravi caussa ita ab eo scriptum esse. Quam si ita mihi probaverit, ut multis aliis in orationum locis verum ab eo repertum esse iam nunc intelligo, non pudebit me erroris. Nunc autem dissentio. *Locus* enim quomodo crimen *sustinuisset?* Quia erat latronum ille occultator et receptor. Aio. Sed *occultator* quomodo? Nempe quia muta solitudo crimen non poterat indicare, ac multo minus etiam crimen nocturnum. Hanc ipsam igitur ob caussam, quia neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem, locus ille insidiosus et latronum plenus ipse crimen sustinuisset. Ita in verbis *neque muta — Milonem* non novam ego rationem, quare Miloni illo in loco Clodius occidendus fuerit, sed explicationem rationis prioris agnosco, qua, quum antea universe tantum locus occultator et receptor latronum dicatur, nunc, quomodo in Milonis facto is esse potuerit, declaretur.

Sed *dum* particulam repugnare putant, in qua nihil ego, quod Romanas aures offendere possit, deprehendo. Etsi enim *dum* plerumque ponitur in re, quae eodem, quo adiuncta altera, fit tempore, ac temporis notio ab ea particula excludi prorsus non potest; non raro tamen rerum, quae uno aut non multum diverso tempore fiunt, ea inter se coniunctio est, ut altera alterius caussa aut haberi vere debeat, aut haberi saltem possit. Horat. Epist. ad Pis. 25. dicit: *brevis esse laboro, obscurus fio.* Poterat vero et sic: *dum brevis esse laboro, obscurus fio.* Utrumque fit eodem fere tempore, sed prius tamen alterius est caussa; nam *eo ipso, quod* brevis esse laboro, obscurus fio. Ac sic *dum* a probatissimis Latinitatis aucto-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ribus usurpatur. Cic. Or. 2, 4, 15: *dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus.* Brut. 81 extr.: *Ita gravissimo suo casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant, et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimillimus.* Divin. in Caecil. 17, 56: *dum pauca mancipia retinere vult, fortunas omnes libertatemque suam istius iniuria perdidit.* Off. 2, 8, 29: *atque in has clades incidimus, dum metui, quam cari esse et diligi maluimus.* Vellei. 2, 68, 4: *dum arguunt in eo regni voluntatem, paene vim dominationis expertos.* Iustin. 6, 7, 11: *Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, graviter vulneratur.* Coniunctivo autem sententiam efferendam esse in oratione obliqua, sponte apparet. Cic. Or. 1, 41, 187: *Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius.* pro Planc. 40, 95: *Nunc venio ad illud extremum, quod dixisti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca.* Quibus omnibus in locis *dum* idem fere est, atque *eo quod.* Idem fit hoc, quo de nunc agimus, Ciceronis loco. Sustinuisset crimen locus, et eo ipso sustinuisset, quod neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem.

Horat. Ep. 1, 7, 46—51.

Strenuus et fortis, caussisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas,
Iam grandis natu, queritur, conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Incertum videri potest, utrum *adrasum* legendum sit, an *abrasum*, ita enim codicum hic fluctuat auctoritas, ut, utra praeferenda sit lectio, eorum ope vix diiudicari possit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Abrasum cum Marcilio probat Fea, nam *abrasi*, inquit, dicebantur liberti, quibus caput abradebatur, quum manu mittebantur. Sed libertis semel tantum caput radebatur, tum, quum manu mittebantur, minime autem semper illum habitum servabant. Hoc significare fortasse Doeringius voluit, quum dixit: libertinus, praecipue iam in tonstrina sedens, vix dictus est simpliciter *abrasus*. Unde ille cum aliis hominem intelligit, cuius barba a tonsore abrasa fuerit. Nihil planius, nihil videri potest apertius. Primo quidem adspectu. Nam diligentius inquirenti secus videbitur. *Vacua* erat tonstrina, et Menas *cultello proprios purgabat leniter ungues*. Quare tandem ipse sibi ungues purgabat? quare a tonsore, cuius ministerio non in barbae magis, quam in unguium cura Romani utebantur, id fieri nolebat? Nempe quia non aderat tonsor; quod ipse Horatius satis perspicue significat verbis: *vacua tonsoris in umbra*. Domum ille abierat, quia *octavam circiter horam* nunquam aut raro quisquam barbae ponendae caussa tonstrinam intrabat. Nisi igitur existimandum est, Menam, ut cultellum ad resecandos ungues, ita omnem apparatum tonsorium secum portasse, ut, ubi et quando vellet, ipse sibi barbam tonderet, fieri non potest, ut *abrasum* dici eum credamus.

Sed, en, subit auxilium. Fortasse Menas barbam tantummodo sibi tonderi a tonsore voluerat, unguium resecandorum negotium, ut impensae parceret, ipse susceperat, tonsoremque dimiserat. Sunt sane, qui, ut conceptam semel opinionem probent, ad remotissima quaeque et tenuissima argumenta confugiant. Quorum ego argumentorum si nimius amator non sum, non metuo, ne apud prudentiores in reprehensionem incurram. Illud tamen non omittendum censeo, tam sordidam avaritiam male congruere cum moribus Vulteii, quales vss. 55—59. ab Horatio describuntur. Sed de his infra opportunior dicendi locus dabitur.

His de caussis in *abrasum* ego emendatricem imprudentis librarii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

manum agnosco, qui, quum non immerito iudicaret, tonsoris esse *abradere*, non *adradere* barbam, temere ex *adraso* faceret *abrasum*.

Adrasum igitur legendum duco. Eius autem verbi triplex exstat interpretatio, quarum nulla ullo probari exemplo potest. Una Baxteri et Wielandii est, qui leviter vel semirasum explicant, altera Gesneri, qui »ἐν χρῷ κουρίαν, rasum ad cutem usque, « intelligit. Quorum utrumque illi pro parci hominis indicio habent, Schmidius maiore iure sordidam avaritiam appellat. Sed de ea re ut recte iudicari possit, paullo diligentius de moribus hominis quaerendum est.

Converterat in se *adrasus* quidam, qui stabat in vacua tonstrina, oculos L. Marcii Philippi, clarissimi caussarum patroni. Quanam ille re hoc effecerat? Quia ungues cultello leniter purgabat? Illud quidem plerisque verisimile videtur. Doeringius, »Philippus, inquit, dum queritur de molestia, quam sibi grandaevo domum redeunti creet via longior, conspicit aliquem otiose in tonstrina sedentem, unguesque sibi placido tranquilloque animo purgantem. Invidia tactus huius felicioris hominis adspectu, servum, qui, quis ille sit, percontetur, in tonstrinam mittit.« Sed profecto exigua haec commendatio videri debebat Philippo, quod ungues ille leniter sibi purgabat. Hoc facere poterat quivis nebulo, cui satius esset, otiosum in cauponis et tonstrinis sedere, quam, quod pulchrius et honestius iudicare Philippus, *fortis* homo et *strenuus*, debebat, strenue et fortiter officiis suis fungi. Equidem non alia re Menam commendatum fuisse Philippo existimo, nisi eo, quod sive *abrasus*, sive *adrasus* esset. In eo enim vocabulo omnis sententiae vis cernitur, et quae sequuntur: *cultello proprios purgantem leniter ungues*, rem indicant moribus hominis sive *abrasi*, sive *adrasi* consentaneam. Quod si verum est, sequitur, ut nec *abrasum* legi possit, quod barbae tantummodo et capillorum laudem contineret, nec *adrasum* explicari debeat *avarum*, *sordidum*.

Tertiam nuper huius vocabuli explicationem invenit Orellius, qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adrasum intelligit » recens rasum, et, quod ad capillos attinebat, *attonsum;* de barba enim, inquit, et de capillitio intelligendum puto, ex quo aliquantum curtato statim perspiciebat Philippus adventorem esse, non tonsorem ipsum, quem alloqui dignatus vix esset. Petr. 32: *Trimalchio pallio coccineo adrasum* (recens rasum) *excluserat caput.* « Sed de hoc Trimalchionis capite adraso infra dicemus. Hic tantum quaero: Si tonsorem Philippus alloqui vix dignaturus fuisset, cur tandem *modo rasum* alloqui dignatus est? An in barba rasa et in capite attonso tantum commendationis erat? Hoc vix credibile. Nec igitur *semirasus* quisquam, nec *rasus ad cutem usque*, nec *recens rasus*, ita allicere et impellere poterat Philippum, ut hominem propius cognoscere cuperet.

Sed qualis tandem fuit ille homo? Describitur ille infra vss. 55—59:

It, redit et narrat: Vulteium, nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine notum;
Et properare loco, et cessare, et quaerere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis, et post decisa negotia Campo.

Praeco igitur erat, quorum hominum conditio ut non valde honorifica, ita non plane inhonesta habebatur. Auxerat dignitatem eorum C. Iulius Caesar. Cic. ad Fam. 6, 18: *quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit: eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint et tui et mei familiares. neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Quumque illi ad multa inferioris generis negotia et publica et privata adhiberentur, in auctionibus, funeribus, ludis, comitiis apparere deberent; quis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

crederet, sordidos et barba semirasa, aut crinibus ad cutem detonsis eos in publicum prodiisse? Immo ab externo illi cultu quam maxime sese commendare debebant. At *tenui* tamen *censu* erat. Esto, pro censu senatorum, equitum, aliorum; nam *certum* tamen *larem* possidebat. Quidni? satis enim quaestuosum erat praeconium. Martial. 5, 56:

Artes discere vult pecuniosas:
Praeconem facias, vel architectum.

Nec piger Vulteius erat, sed qui *properare* et *quaerere* sciret. Neque tamen ita ille ad rem attentus erat, ut nihil sibi remitteret, sed *cessare* etiam et *uti* quaesitis didicerat; unde nec sodalium ille suave commercium, nec theatri et Campi Martii oblectationes aspernabatur. Num, quaeso, haec hominem sordidum, et qui irridendus sit, probant, an eum, qui prudens ac bene moratus et sit et ab aliis haberi velit? Fuit sane, hoc dubium esse non potest, fuit Horatio homo *adrasus* is, qui et vestitus munditia, et vultus orisque venustate, universo denique cultu externo spectanti cuilibet sese commendaret. Is demum, nec alius, tam subacti subtilisque iudicii hominem, qualem ex Ciceronis Oratore, Bruto, de Officiis libello, Philippum cognoscimus, solo adspectu ita capere poterat, ut hic servum mitteret, qui quaereret ex eo, *unde domo, quis, cuius fortunae, quove patrono* esset. Fuit igitur Vulteius Menas homo *nitidus*. Nec ego coniectura hoc assequor, sed ipse Horatius docet, qui infra vs. 83. de eodem Vulteio dicat: *ex nitido fit rusticus*. quo vocabulo si usus est pro *urbano*, nec aliud dicturus fuit, nisi hoc, ex urbano homine factum esse ruris incolam, ut interpretes vulgo praecipiunt; nae ille melius nihil dixisset.

Certum est igitur, Vulteium fuisse hominem *nitidum*. Quodsi probavero, eundem et *adrasum* dici posse, non levem huius loci difficultatem sustulisse mihi videbor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Radi dicitur res, quae levigatur et politur radendo. Unde *liber pumice rasus* Martial. 1, 118. Erit igitur homo *rasus* s. *adrasus* idem, qui *politus*, vel *ad unguem factus*, ut dicit Horat. Sat. 1, 5, 32., quorum eadem est metaphora, ducta a statuariis, qui levigando et poliendo et radendo opera sua perficiunt. Pari modo et *limatus* dicitur. Cic. N. D. 2, 29: *Vir moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatus.* Ex eodem fonte fluxit illud, quod dicit Cic. Academ. Quaest. 4, 31 extr.: *non enim est e saxo sculptus* (sapiens), *aut e robore dolatus.* Quod igitur in reliquis omnibus eiusmodi vocabulis fit, ut translata notione in describendis hominum moribus, in vestitu et ornatu eorum, dicantur, id cur in *adrasus* minus fieri possit, vix intelligitur. Immo maiore etiam iure *adrasus* sic dici posse videtur. Mos enim erat hominum molliorum et delicatiorum, pumice cutem adradere, ut squamulas et quidquid asperi in ea esset, removerent. Ovid. A. A. 1, 506:

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Martial. 1, 65:

Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membrana.

Plinius Ep. 2, 11, 23: *qui titulus a vita hominis comti semper et pumicati non abhorrebat*, ubi manifesto ad mores refertur *pumicatus*. *Adrasus* eadem notione legitur apud Petronium illo ipso loco, quo Orellius utitur, ut pro attonso et modo raso eam vocem usurpari probet. Ille enim Trimalchio senex erat *calvus*. Petron. pag. 31. ed. Lips. ann. 1731: *Cum subito videmus senem calvum, tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila.* Quodsi calvus fuit Trimalchio, quomodo *attonso*, s. *recens raso* capite? Paullo post pag. 33. idem Trimalchio a convivis conspicitur *capillatus* in pariete pictus, caduceum tenens. Nam mirum videri debebat spectantibus, senem calvum pictum esse capil-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

latum. Ad coenam tandem venit ipse Trimalchio, pag. 36., et describitur species hominis: *Pallio coccineo adrasum excluserat caput*, cet. Ubi quid sit *adrasum*, declaratur verbo *excluserat*. *Excludi* enim ex ovis dicuntur pulli, et comparatur pumicatum et nitidum Trimalchionis caput cum pullo modo excluso. Dixit igitur Petronius *adrasum caput* eadem fere notione, qua Horatius hominem adrasum, h. e. pro capite pumicato et nitido. Sed quod proprie dixit Petronius, id ab Horatio transfertur ad universum hominis vestitum et cultum.

Translato autem verbo sese uti, ipse significat adiecta formula *ut aiunt*. Sed eam formulam referunt vulgo ad *conspexit*, ubi nihil ea opus est. Quamquam enim *ut aiunt* tum plerumque dicitur, quum referuntur res, quae ex pervulgato hominum rumore hauriuntur, non raro tamen illa formula non ad rem, quae narratur, sed ad dicendi genus, quo utimur, et ad unum adeo aliquod verbum refertur, cui consuetudo vulgaris singularem quandam notionem attribuit. Donatus ad Terent. Phorm. 2, 3, 72: *aiunt dicimus, quum proverbium significamus*. Cic. Phil. 12, 2, 5: *posteriores enim cogitationes, ut aiunt, sapientiores solent esse*. Orat. 2, 57, 233: *docebo sus, ut aiunt, oratorem*. Horat. Epist. 2, 2, 30: *praesidium regale loco deiecit, ut aiunt, summe munito*. Ubi falluntur, qui *ut aiunt* ad universam de Luculli milite narrationem spectare existimant; hoc enim si poeta voluisset, non nunc demum, sed iam supra, versu vigesimo quarto, *ut aiunt* inserendum ei erat. Sed dixit ille *ut aiunt*, quia usus erat verbo militari *deiecit*.

Pari modo hoc loco *ut aiunt* non ad *conspexit*, sed ad *adrasum* referendum est. Neque huic rationi obstat, quod *ut aiunt* antecedit vocem *adrasum*. Modo enim ea formula antecedit, modo sequitur vocem, ad quam refertur. Cuius verborum collocationis ne longius repetam exempla, auctore utor eodem, qui iam ad manum mihi est, Petronio, qui pag. 43: *Nec adhuc sciebamus, nos in medio*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lautitiarum, quod aiunt, clivo laborare. et pag. 42: *Sed, ut dicunt, ego nihil scio, sed audivi.* Videtur igitur adrasi nomen ad populi facetias et lepores pertinuisse, quorum in unaquaque lingua, quamdiu in ore hominum vivit, ingens reperitur numerus. Sedebat igitur in vacua tonstrina circiter horam diei octavam homo quidam concinnus et mundus, et cuius omnis omnino persona parum cum eo loco, quippe quem pauperiores tantum barbae ponendae caussa intrare solerent, convenire videretur. Tenuioris conditionis hominem esse, probabat locus, beatiorem et fortunatiorem ostendebat cultus. Cupidus igitur hominis cognoscendi, quem *strenuum* putaret et *fortem*, dimisit puerum sciscitatum ex ipso. Redit puer et cognoscit ex eius narratione Philippus, hominem esse talem, qualem speraverat, *strenuum* et *fortem*. Cf. vs. 46. et 71. Ad coenam venire eum jubet, quid multa? septem sestertia ei donat, septem promittit mutua, ut agellum mercetur. Mercatur agellum, et ex homine *nitido* et *adraso* fit *rusticus*.

Dignum hoc erat persona Philippi; at eadem nihil fuisset indignius, quam quod vulgo existimant, hominem aut a barba abrasa, aut ab otio et tranquillitate, qua ungues sibi resecaret, aut a semirasa adeo barba ei commendatum esse.

Horat. Ep. ad Pis. 42 sq.

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor,
In verbis etiam tenuis cautusque serendis.
Dixeris egregie, cet.

Adscripsi hos versus servato, quem omnes codices et editiones antiquiores agnoscunt, ordine; qui si rectus est, novum praeceptum, quod est de adhibenda in eligendis vocabulis diligentia, incipit a

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verbis: *Dixeris egregie* cet. Neque aliter statuisse antiquissimos interpretes, testis est Porphyrio, qui ad versum: *Dixeris egregie, notum si callida verbum*, haec adnotavit: »Exponit nunc de verbis veteribus ac novis, quomodo poetica sint.« Sed Bentleius, ut tautologiae crimine Horatium liberaret, maiorem distinctionem posuit post *omittat*, mutatoque insequentium duorum versuum ordine, ab his ipsis novum praeceptum orditur, in hunc modum:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris egregie, cet.

eamque horum versuum permutationem, velut blandum magnae difficultatis remedium, omnis fere insequentium editorum turba cupide arripuit. Receperunt eam Sanad. Mervill. Philipp. Valart. Oberlin. Gesner. Comb. Wakefield. Wetzel. Doering. Braunhard. all. Tum igitur hoc dixit Horatius: Auctor carminis promissi etiam in verbis serendis subtilis cautusque esse debet, quorum ille alia eligenda, alia repudianda putabit. Sed *in verbis serendis* quid est? Scholiasta Cruquii explicat: *propagandis, ponendis;* Doeringius: *proferendis, spargendis, disponendis, adhibendis*, ut nescias, quid ipse praetulerit; Braunhardus: *faciendis, novandis*. Quum autem verba *hoc amet, hoc spernat* de Benleii sententia manifesto referri debeant ad verborum electionem, apparet, *in verbis serendis* iam dici pro: *in verbis eligendis* s. in verborum usu. Foret igitur sententia: Auctor carminis promissi etiam in verborum usu tenuis cautusque erit, quorum alia ille amabit, h. e. eliget, alia repudiabit. Fateor, hoc esse planum ac perspicuum; sed tam tritum tamen ac vulgare etiam est, ut ineptum prope haberi possit. Quorsum enim adiectum esse putabimus *hoc amet, hoc spernat*, quum, quem iubemus cautum subtilemque esse in verborum usu, hunc eo ipso doceamus, esse permulta verba, quae eligi a bono scriptore non debeant?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed quum, qui vulgarem horum versuum ordinem invertunt, egregie sententiarum cohaerentiae consulere sibi videantur, scire ego velim, qua tandem iunctura versus:

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor,

cohaereat cum proximis:

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum.

Grammatica quidem copulatio nusquam est. At ne logica quidem. Qualis enim? Priore versu poeta loquitur de adhibenda in vocabulis eligendis cautione, posteriore de prudenter instituta verborum collocatione, qua interdum efficiatur, ut vocabulum notum novi quandam speciem recipiat. Ubi est hic cohaerentia? ubi rerum necessitudo illa et affinitas, qua, quorum arctiorem coniunctionem grammaticae rationes non admittunt, ea velut interiore quodam vinculo continentur?

Sed graviorem etiam iniuriam Horatio faciunt, qui *in verbis serendis* capiunt de verborum usu. Rectiora iam Gesnerus docuit, cuius hanc adscribo interpretationem: »*verba serere*, *εἴρειν*, *connectere, unde sermo dicitur.*« Nec aliter iudicant Hocheder. Machacek. Orell. Promiscue autem usurpantur *serere* et *nectere*. Liv. 25, 6, 6: *Si non deum ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, sed culpa periimus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit?* Cic. Top. 15, 59: *Ex hoc genere caussarum, ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur.* Senec. Med. 281: *quid seris fando moras?* Id. Herc. Oet. 10: *quid tamen nectis moras?* Stat. Theb. 6, 941: *Multa duces errore serunt.* Id. Theb. 8, 637: *Talia nectebant.* Seri autem verba et necti dicuntur, quum ita ea iunguntur, ut suum quodque locum obtineat, et quaedam quasi series efficiatur. Nam haec ipsa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a *serendo* dicitur. Quodsi *in verbis serendis* idem est, quod in verbis nectendis et coniungendis, quivis intelligit, quam arcte hic versus, si locum suum retinet, cohaereat cum insequenti. »Auctor carminis promissi etiam in verbis nectendis cautus esse debet; siquidem non raro callida iunctura verbum notum reddit novum.« Eo igitur demum versu transitus paratur ad novum praeceptum, quod est de novorum vocabulorum usu.

At vero, id enim ab adversariis obiici mihi posse videtur, haec ipsa est caussa, cur versus:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,

prior faciendus, novumque ab eo praeceptum ordiendum videatur. Nego. Obstat tum versus posterior:

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor,

qui ad iuncturam verborum nullo modo referri potest. Haec enim ex illa versuum traiectione exsistit sententia: Auctor carminis promissi in verbis etiam nectendis tenuis cautusque est, unde *hoc* ille verbum *amat, hoc spernit.* Quod si accuratius consideraveris, nihil esse reperies. In *eligendis verbis* si dixisset Horatius, leve quidem praeceptum esset, at recta tamen sententia; in *serendis* vero, h. e. in *nectendis*, quum dixerit, nescio quid dici ineptius potuerit. Quasi vero in verborum serie ac iunctura hoc agatur, ut proba ac legitima verba eligantur, ac non hoc potius, ut suo quodque loco ponatur. Adeo igitur ex omni parte claudicat sententia.

Sed restat alius nodus, quem vellem expedivissent ii, qui versus 45. et 46. ad sequentia trahunt. Dixit Horatius ante:

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ubinam hic est subiectum verborum *dicat, differat, omittat?* An quaerendum in *hunc*, quod est in antecedenti sententia? Esset haec subiecti defectio ex eo genere, cui omnes dicendi leges repugnare viderentur. Immo in verbis *dicat — differat — omittat — amet — spernat promissi carminis auctor* ita uno tenore ad finem defluit oratio, ut, quid demi possit, vix perspicias.

Quae quum ita sint, alia quaerenda nobis explicatio est, qua versus 45. et 46., sed servato, quem codices praescribunt ordinem, cum prioribus apte coniungi possint. Eius autem instituendae quaestionis ratio omnis proficisci debet a verbis *promissi carminis auctor*, quorum vix dici potest quam fuerit omni tempore dubia et incerta interpretatio. In septem autem, quod ego quidem sciam, diversas viri docti discesserunt explicandi vias. Ingentis chori dux Acron exstitit, qui *carmen promissum* esse putabat carmen magnum; a quo non longe recedit Haberfeldius, cui placuit, carmen magni momenti, vel magni ambitus intelligere. Lambinus, auctor, inquit, *carminis promissi* est, qui carmen, quod se scripturum pollicitus est, condit; quem ex recentioribus Horatii interpretibus Doeringius sequitur. Ex eodem fonte Zeunii quoque explicatio fluxisse videtur, cui carmen promissum est carmen diu exspectatum et per hoc egregium. Novam quandam rationem invenit Schellius, cuius haec adscribo verba: »Quum cuique poeseos generi sua constet ratio: poeta, carmen conditurus, certo alicui poeseos generi lege adstrictum (alioquin non fuerit poema), promissa facere videtur, quibus, si legitimum condiderit poema, tantum abest, ut exciderit, ut contra ab intelligentissimo quoque promissis stetisse (ex lege) iudicandus sit.« Ille igitur, nisi fallor, *carmen promissum* esse dicit carmen legitimum. Hochederus: »*Ich nehme promittere für prodere, emittere, edere, auf die Nachwelt bringen, und fasse das Particip. in seinem absoluten Sinne, so dass der Dichter hier Correctheit und gewählten Ausdruck zur Bedingung der Un-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sterblichkeit eines Kunstwerkes macht. So III. Od. 4, 2. longum melos. « Iahnius *promissum carmen* intelligit *carmen susceptum*, quam ille notionem probabilem reddi putat versu 38. Orellio *carmen promissum* est, » quod, ut scimus, in manibus habet praestans poeta, sed fortasse post plures demum annos edet. « Sic satis libera eligendi optio data est. Potest enim carmen promissum esse aut longum, aut quod poeta pollicitus est, aut egregium, aut legitimum, aut immortale, aut susceptum, aut quod in manibus habet praestans poeta. Sed eorum, qui longum carmen hoc nomine ab Horatio dici existimant, dudum cum ab aliis, tum a Schellio explosa sententia est. Nec de verborum electione quicquam praecipi in longo, non autem praecipi debet in brevissimo quoque carmine, siquidem utrumque hac in re pari lege tenetur. Qui vero praestantiae alicuius notionem quaerunt in *carmine promisso*, illi unde eam hauriendam censeant, ignorare me confiteor. Neque enim, quia promissum quid est, idcirco etiam diu exspectatum, multo minus etiam legitimum, aut egregium, aut immortale est. *Susceptum* carmen qui cum Iahnio intelligunt, illi nec probarunt, idem esse susceptum, quod promissum, nec cogitarunt, nihil unquam nec recte, nec perverse dici posse, nisi in suscepto opere; unde consequitur, ut *promissi*, si pro *suscepti* diceretur, otiosum plane epitheton hic habendum esset. Eadem ratio Orellii obstat explicationi, quae verbis tantum, non re differt a Iahnii sententia. Unde prudentius certe facere videntur, qui a vulgari pollicendi notione non recedunt.

Neque ego damnarem hanc explicationem, si carmen singulari quadam notione et ἐμφατικῶς dici posset pro carmine, quod vere eo nomine dignum esset, h. e. pro carmine bono. Ac tale quid nescio an Doeringio ob oculos versatum sit, quum auctorem carminis promissi interpretaretur poetam, qui carmen promitteret. Verum ea interpretandi ratio cum per se nimis artificiosa videri debet, tum ne a verborum quidem structura commendatur. Ut enim concesserim,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verba: *poeta, qui carmen promittit* idem significare posse, quod illa: *poeta, qui probum carmen promittit;* diversum tamen hoc est ab altero: *promissi carminis auctor*, ubi propter adiunctum participium nulla in voce *carminis* inesse potest ἔμφασις, quum, quale carmen intelligendum sit, ipso participio declaretur. Nihil igitur iam relinqui videtur, nisi ut statuamus, auctorem carminis promissi ab Horatio dici eum, qui carmen aliquod pollicitus sit. Sed hoc ipsum ita alienum est ab Horatii consilio, ut ineptum paene haberi possit. Neque enim in iis tantummodo poematis, quae poeta pollicitus est, artis observandae leges sunt, sed ubique et in omni genere.

Quum igitur nulla ex omnibus, quas modo commemoravi, explicandi rationibus satis placere possit, nova ingredienda via est, ut verum tandem reperiatur. Eam ego viam monstratam puto particulis *iam nunc*, quae supra leguntur v. 43. Dicit Horatius:

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici.

Sed hic quoque, velut in densa caligine, huc illuc errant interpretes, quia unam ducem, loquendi consuetudinem, adspernantur. Distinguebatur olim:

Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat cet.

quod explicant: ut ea, quae dici debent, modo dicat, modo differat. Eamque rationem probat Hochederus, ratus *iam nunc — iam nunc* dici quemadmodum *τοτὲ μέν — τοτὲ δέ;* fere ut Bentleius voluerat: ut interdum dicat omnia, interdum pleraque, quae debebant dici et ad locum pertinebant, differat in aliud tempus, ne mole *τῶν περιστάσεων* obruatur lector et narrationis filum amittat. Sed quem ille laudat Persii locum Sat. 5, 110:

Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ibi non diversa tempora, sed unum idemque illis particulis significatur. Idem fit in Horatii loco; nec facile nostris temporibus reperiatur, qui secus statuat. Unde nunc cum Lambino recte distinguitur:

Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat cet.

De sententia autem in diversas partes discedunt, ita tamen, ut de eo omnes fere consentiant, particulas *iam nunc* non de certo aliquo, sed de quolibet tempore ac loco dici. Iahnius: »Ordinis virtus haec est, ut auctor carminis in quoque loco ea tantum dicat, quae nunc dici debent, pleraque autem omittat et in aliud tempus differat.« Sed veram earum particularum notionem unus Doeringius, quasi per nebulam, vidit. Interpretatur ille: »ut in principio statim dicat, quae in principio dici debent.« Verum per se particulae *iam nunc* non possunt carminis initium significare, nisi est in ipsa orationis forma aliquid, quod illuc spectare videatur. Proprie enim *iam nunc* refertur ad statum praesentem. Cic. in Caecil. Divin. 13, 42: *Iam nunc mente et cogitatione perspicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint.* ubi tempus praesens opponitur futuro. Vide Drakenborch. ad Liv. 31, 32, 3. Non raro tamen *iam nunc* dicitur non de tempore, quod loquenti, sed de eo, quod personae, de qua dicitur, praesens est. Horat. Od. 3, 6, 21 sqq.:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus
Iam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ep. 2, 1, 126 sqq.:

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat;
Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis.

Ovid. A. A. 3, 59. ad puellas:

Venturae memores iam nunc estote senectae:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

Quibus omnibus in locis definite expressa est temporis notatio, ad quod *iam nunc* referri debeat. Ac primo quidem loco illud significatur *pueri*, altero *maturae virginis*, tertio *puellarum* facta mentione. Nisi igitur prorsus inepte locutus est Horatius, quum dixit: *ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici*, illud *iam nunc* referendum erit ad tempus, quod aliquo modo iam in prioribus versibus expressum est; neque id aliud esse potest, nisi quod indicatur verbis proxime praecedentibus: *cui lecta potenter erit res.* Finito enim inventionis labore ordinis iam cura habenda est. Itaque *iam nunc*, h. e. quum *lecta potenter erit res*, s. in ipso carminis initio, poeta dicat, quae dici *iam nunc*, h. e. in carminis initio, debent; pleraque autem differat et praesens in tempus omittat.

Quid igitur? Quum de ordine praecipiat Horatius, num eum de illo tantum, qui in carminis initio servandus sit ordo, praecipere putabimus? Quam hoc non credibile! Immo pergit ille:

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Ubi apparet, carmen *promissum* opponi carmini *incepto*, s. carminis initio. Huius notionis insigne exstat exemplum Epod. 14, 6 sqq..

Deus, deus nam me vetat
Inceptos olim, promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ibi *iambi incepti* sunt epodi, quos quia magnam partem iam conscripserat, *carmen promissum*, h. e. iam longius productum appellat. Sed ibi etiam *carmen promissum* omnes intelligunt, quod pollicitus fuerit Horatius, unde etiam distinctionem, quae in omnibus libris est post *olim*, posuerunt post *inceptos*, ut *olim* iungeretur cum *promissum*. Quod Horatius si dicere voluisset, scripturus fuisset:

Olim promissos, inceptum carmen, iambos.

Quoniam vero inverso ordine dixit:

Inceptos olim, promissum carmen, iambos,

promissum opponitur *incepto*, et dicitur pro eo, quod progressum iam est. Nec aliam notionem patitur versus insequens: *Ad umbilicum adducere*. Nam ad umbilicum adducuntur non incepta, sed paene perfecta; incepta promittuntur, promissa ad umbilicum adducuntur. Neque id mirum videri poterit ei, qui mittendi et promittendi notiones primas accuratius examinaverit. Nam si omissum opus recte dicitur, quod non amplius tractatur, et intermissum, in quo aliquamdiu cessavimus; quidni recte etiam dicatur opus promissum pro opere, in quo longius progressi sumus? Nam *promittere* proprie significat, facere, ut quid progrediatur, longius porrigatur, sese extendat, crescat. Colum. 5, 6: *ramos vel ferro compescunt, vel longius promittunt*. Plin. 16, 26, 14: *nec ulla arborum avidius se promittit*. Pomp. Mel. 1, 3: *deinde rursus Gallia est longe et a nostris litoribus promissa*. Id. 2, 5: *ad Pyrenaeum usque promittitur*. ubi perperam a nonnullis scribitur *permissa* et *permittitur*. Nec aliter ab optimis scriptoribus *promissus* dicitur in *barba promissa*, *capilli promissi*, ubi rei natura fert, ut longam barbam et longos capillos intelligamus. Carmen vero, quod promittitur, idcirco non etiam longum fit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tenenda est enim crescendi notio. Unde Horatius eodem iure dicere potuisse videtur: *carmen promittitur*, quo Ovidius dixit *carmen crescit*, Fast. 2, 1., nam eadem est metaphora. Nec obstare huic dicendi rationi poterat vulgaris consuetudo, qua *carmen promissum* per se non erat aliud, nisi quod quis pollicitus esset. Nam diversam notionem hoc loco suadere debebat ipsa verborum series et iunctura, nec qualis ea esset notio, obscurum videri poterat. Itaque hic ipse paullo insolentior vocis *promittendi* usus, quamvis plura dicenda fuissent de *ordine*, ab instituta re poetam deflexit et ad aliam rem, ad locum de adhibenda in vocabulis eligendis diligentia adduxit, ad quem transitus paratur versu proximo:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis.

Quapropter hanc ego loci Horatiani sententiam esse existimo: »Ordinis vis ac venustas omnis in eo posita est, ut poeta (*auctor carminis*) iam in ipso carminis principio (*iam nunc*, quum *lecta potenter erit res*) ea tantum dicat, quae dici ibi (*iam nunc*) debent ad praeparandum et recte conformandum lectoris animum; cetera, quae ab hoc consilio aliena sunt, *differat et praesens in tempus omittat*. Verum etiam in reliquo carmine (*promissi carminis auctor*) eandem ille diligentiam adhibebit; *amabit*, h. e. diligenter exponet, quae ad rem pertinebunt, *spernet*, h. e. praetermittet, quae aliena ab ea videbuntur. Itaque quae *incepti*, eadem et *promissi carminis* cura erit. *Promissi*, inquam. Nam in verbis etiam nectendis subtilem esse cautumque oportet, nec raro callida verborum iunctura verbum notum reddit novum, id quod iam ipse exemplo docui.«

Est igitur hoc non dissimile illi, quod infra, postquam praecepit:

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadant, parce detorta,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hoc ipsum praeceptum secutus, graeco modo dixit: *ego cur invideor?* (vs. 55.) *ἐγὼ τί φθονοῦμαι;* Nam utrumque praeceptum eiusmodi est, quod, nisi exemplis illustratum esset, nec Pisones, nec omnino Romanorum quisquam percepturus fuisset. De forma autem grammatica, qua ex posterioris sententiae subiecto *promissi carminis auctor* subiectum *carminis auctor* trahendum ad sententiam priorem est, si plura dicere velim, vereor, ne religiosius, quam verecundius caussam meam defendere videar. Interim cum Ramshorn. Lat. Gram. p. 1021. laudare licet Cic. Att. 10, 4: *Summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur.*

Si vero *carmen promissum* opponitur *carmini incepto*, sequitur hinc, ut versus:

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor,

referri debeat ad priorem:

Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici;

tam arcta enim horum versuum coniunctio est, ut alter sine altero explicari omnino non possit.

Sed falluntur etiam illi, qui, etsi in ipso versuum ordine nihil mutandum censent, tamen post *auctor* finitae sententiae signum ponunt, et alterum versum:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,

ad sequentia trahunt, quod praecedente Haberfeldio fecerunt Schell., Fea, Hocheder., Machacek., Iahn., Orell. Eam enim rationem non sententiarum modo diversitas, sed universa etiam verborum structura dissuadet. Dixerat Horatius *promissi carminis* pro, carminis longius producti. Ea vocis *promissi* paullo insolentior notio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex verborum tantummodo callida iunctura cognosci poterat, quam ut attenderent lectores, tum vero, ut facilior esset transitus ad praeceptum proximum, adiecit:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis.

Sed haec quidem hactenus. Quod reliquum est spatii et otii, ad locos aliquot Sophoclis in Aiace explicandos conferre institui. Vs. 244 sq. Ed. Herm. haec leguntur:

ἢ θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν ἑζόμενον
ποντοπόρῳ ναῦ μεθεῖναι.

Scholiastes explicat: ἕκαστον ἡμῶν δεῖ μεθεῖναι, τουτέστι ῥῖψαι ἑαυτὸν ἐν νηῒ καὶ φυγεῖν, quam rationem probat Dindorfius. Hermannus conturbatam notionum statuit constructionem pro: ἐν τῷ θοῷ ζυγῷ ἑζόμενον, εἰρεσίαν μεθεῖναι τῇ νηΐ. Lobeckius μεθεῖναι intelligit χαλινοὺς μεθεῖναι, in hanc inclinans sententiam, Sophoclem verbis ναῦ μεθεῖναι idem significasse, quod Virgilium Aen. 6, 1: *classi immittit habenas*. Wunderus, quum verba superiora ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι dicantur pro ποσὶ φυγὴν ἀρέσθαι, φυγῆς notionem trahendam etiam ad μεθεῖναι censet, et explicat: *fugam navi committere*. Ex hac tanta tantorum virorum dissensione intelligi licet, quantum inesse in hoc loco difficultatis videatur. Hoc tamen persuadere mihi nullo modo possum, tam obscure Sophoclem locutum esse, ut in uno verbo μεθεῖναι et ἑαυτόν, et εἰρεσίαν, et χαλινούς, et φυγήν, obiecta diversissima, eodem fere iure intelligi possint. Alteram ego difficultatem deprehendo in verbis θοὸν εἰρεσίας ζυγόν. Neque enim, quia in transtris sedent remiges, idcirco *remigationis transtra* commode iungi, nec, quia navium celeritas ex remigum pendet celeritate, ipsa quoque transtra, in quibus sedent remiges celeres, dici posse celeria existimo. Wunderus quidem in censura editionis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lobeckii pag. 102. de transtris dici censet, quod proprie de tota navi dici debuerit. Verum id ipsum est, quod dici perverse videtur, quum nihil parti possit tribui, quod naturae ipsius repugnet, quamvis recte de re tota dicatur. Unde non maiore iure velox transtrum, quam velox ephippium dici posse videtur. Omnis enim aut celeritatis aut tarditatis notio proficiscitur a comparatione motus alicuius cum temporis spatio, quo motus ille peragitur. In quo nihil refert, utrum caussa movendi sit in re ipsa, quae movetur, an extra eam, utrum proprium sit dicendi genus, an translatum. Ubi igitur nihil est, quod aut moveat, aut moveatur, ibi nec celeritas cogitari potest. Sed tribuitur passim rebus ac personis, quod proprie tribuendum erat actioni, ac ponitur tum adiectivum *θοὸς* pro adverbio *θοῶς*. Id vero non potest fieri nisi tum, quum actionis celeritas in re ipsa aut persona conspicua fit. Soph. Ai. 1245:

φεῦ· τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
χάρις διαῤῥεῖ.

Trachin. 1243:

καλῶς τελευτᾷς, κἀπὶ τοῖςδε τὴν χάριν
ταχεῖαν, ὦ παῖ, πρόςθες.

Ai. 725:

βραδεῖαν ἡμᾶς ἆρ' ὁ τήνδε τὴν ὁδὸν
πέμπων ἔπεμψεν, ἢ 'φάνην ἐγὼ βραδύς.

Nam gratia recte celeris dici potest, quae cito aut effluit aut conspicua fit, et iter recte tardum, quod tarde quis facit. Eadem est ratio eorum, quos Lobeckius laudat, locorum, velut Trach. 854: *θοὰν νύμφαν ἄγαγες*, nam cita et ipsa puella esse debet, quae cito adducitur. A quo parum discrepat Homericum illud *θοὴν ἀλεγύνετε δαῖτα*, et quod legitur apud Apollon. 4, 201: *ἀσπίδας — προσχόμενοι δηΐων θοὸν ἔχμα βολάων*. Sed transtris, quantumvis celeriter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

navis feratur, nulla adscribi celeritas potest, quia nec mutatur quidquam in illis, nec ipsa ullam mutandi caussam in se continent. Nec removetur difficultas, si quis θοὸν cum μεθεῖναι iungi maluerit. Eustathius quidem praecipit: θοὸς ζυγὸς παρὰ Σοφοκλεῖ ὁ μὴ αὐτὸς ὢν ταχύς, ἀλλ' ὁ αἴτιος τοῦ ἐπιταχύνασθαι νῆα κωπηλάταις. Verum non in transtris celeritatis caussa est, sed in remigio.

His ego rationibus adducor, ut θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν intelligam ipsos remiges, nihil dubitans, quin εἰρεσίας ζυγὸν Sophocles dixerit pro ἐρετῶν ζυγόν, vide Matth. Gr. Gr. §. 429. 1. pag. 795. Eadem metonymia Romani *remigium* dicunt pro *remiges*. Horat. Ep. 1, 6, 63: *remigium vitiosum Ithacensis Ulixi*. et pluribus locis Livius. Tum ζυγὸν non est σέλμα, sed συνωρὶς s. ζεῦγος. Nam ζυγὸν aeque ac ζεῦγος passim equos iugales significat. Sophocl. El. 728 sqq.:

κἀξισώσαντες ζυγὰ
ἠλαυνέτην, τότ' ἄλλος, ἄλλοθ' ἄτερος
κάρα προβάλλων ἱππικῶν ὀχημάτων.

ubi ζυγὰ non possunt esse iuga lignea, sed dicuntur ita ipsi ἵπποι σύζυγοι. Nec aliam notionem admittit locus Pind. Nem. 7, 7 sqq.:

ἀναπνέομεν δ' οὐχ ἅπαντες ἐπὶ ἴσα·
εἴργει δὲ πότμω ζυγὸν
ἕτερον ἕτερα.

Ab aurigatione autem ductam esse metaphoram, declarat etiam verbum μεθεῖναι, cuius veram notionem bene perspexit Lobeckius. Comparantur igitur remiges, qui navem remis impellunt, cum equorum iugis currum trahentibus. Nec audacius εἰρεσίας ζυγὸν dici videretur, quam Oed. Col. 899. τέκνων ξυνωρίς, et quod ex Euripide servavit Hesychii glossa, ζεῦγος τριπάρθενον. Si vero

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

εἰρεσίας ζυγὸν remigum sunt ordines, recte etiam θοὸν id dici poterat. Sed tollitur sic et altera difficultas, quae est in verbo μεθεῖναι, id enim iam non cum ποντοπόρῳ ναῦ iungi debet, sed cum εἰρεσίας ζυγόν, et dicitur hic ζυγὸν μεθιέναι eadem notione, qua ἀνιέναι ἵππον El. 711:

δεξιὸν δ' ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον εἶργε τὸν προςκείμενον.

Utriusque enim verbi plurimis in rebus promiscuus est usus. Hom. Od. τ, 551:

αὐτὰρ ἐμὲ μελιηδὴς ὕπνος ἀνῆκεν.

et Od. ε, 471:

εἴ με μεθείῃ
ῥῖγος καὶ κάματος, γλυκερὸς δέ μοι ὕπνος ἐπέλθῃ.

Ubi et ἀνιέναι et μεθιέναι est, dimittere aliquem ex potestate sua. Unde fluxit altera notio: solvere, quod vinctum, laxare, quod constrictum est. Hoc modo Hom. Il. ρ, 539: κῆρ ἄχεος μεθέηκα. et Soph. Oed. Col. 1604: οὐδ' ἀνίεσαν στέρνων ἀραγμούς. Ex quo patet, etiam laxandi et remittendi notionem utrique vocabulo communem fuisse. Quum igitur ἀνιέναι ἵππον Graeci dixerint, cur minus recte dicatur μεθιέναι ἵππον, nulla caussa apparet. Non male igitur Lobeckius comparavit Virgilianum illud *classique immittit habenas.* Quod vero ille iungit ναῦ μεθεῖναι, id dubito num recte fecerit. Duplici enim modo dici potest, aut τὰς ἡνίας ἀνιέναι τῷ ἵππῳ, cuius generis est locus a Lobeckio laudatus Plut. Pericl. 11: ἀνεὶς τῷ δήμῳ τὰς ἡνίας, aut ἀνιέναι τὸν ἵππον, quod dixit Sophocl. El. l. l., quia, quum habenae immittuntur equis, et ipsi immittuntur equi. Unde pari ratione Romani quoque dicunt *immittere* (μεθιέναι) s. *remittere* (ἀνιέναι) *habenas equis*, et *immittere equos.* Virg. Aen. 5, 146:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nec sic immissis aurigae undantia lora
Concussere iugis.

Quod illic Virgilius *immittere iugum*, id Sophocles dixit *μεθεῖναι ζυγόν*. Sic denique cum suo substantivo iungi potest *ἑζόμενον*, quod cum vulgo iungatur cum *θοὸν εἰρεσίας ζυγόν*, quaerere licet, cur Aiacis socii navales in transtris omnes sedere voluerint. Iungendum autem est: *ἑζόμενον ποντοπόρῳ ναΐ*. Itaque hanc ego huius loci sententiam esse statuo: *Iam expedit, ut quis obvoluto capite clam aut pedes fugam capessat, aut maritimo cursu in navi sedens velox remigii iugum immittat.*

vs. 352 sq.

σέ τοι, σέ τοι μόνον δέδορ-
κα ποιμένων ἐπαρκέσοντ'.

Quaeritur, quinam sint *ποιμένες*, et unde pendeat genitivus. Scholiastes *ποιμένων* explicat *τῶν ἐμὲ ποιμαινόντων καὶ θαλπόντων*, ex quo apparet, intelligere eum Aiacis amicos. Huius auctoritatem sequitur Hermannus, qui *μόνον ποιμένων* Sophoclem dixisse iudicat, ut paullo ante *μόνοι ἐμῶν φίλων*. Foret igitur sententia: *Vos solos ex amicis meis adiutores mihi fore expertus scio.* Contradicit tamen Lobeckius. »Iam si chorus, inquit, Aiacem *ποιμένα* suum appellaret, nemo sane haereret; dicitur enim illud pro *κηδεμών*, sicut verbum *ποιμαίνειν* pro fovere; sed cives regis *ποιμένας* vocari, quantumvis ei faveant et opitulentur laboranti, parum conveniens videtur.« Sed acerrimus ipse sui adversarius est Hermannus, qui in prima Aiacis editione quaerat: »Qui tandem chorus in his solus esse dici potuit, quum praeter chorum, qui *ποιμένες* dici queant, non appareat? Praeterea quis credat, hoc nomen de inferiore intelligendum esse, quum proprium sit ducum et regum?« Apparet, amicos Aiacis dici non posse eiusdem *ποιμένας*. Non magis tamen Lobeckii probari posse sententia videtur, qui *ποι-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

μένας intelligit ipsum Aiacem, ita quidem, ut participium ἐπαρκέσοντ' substantivi locum obtinere censeat. Tum igitur haec est verborum sententia: *Te solum ducis tui adiutorem cognovi.* Sed quae ille laudat participia συνάρχων, τεκών, προςήκων, συμφέρον, ea longo usu ita naturam suam mutaverant, ut pro veris substantivis haberi possent, unde in nonnullis, ut in ὁ τεκών, ἡ τεκοῦσα, etiam articulus passim omittitur. Neque hoc apud Graecos, quam apud Romanos, fuit usitatius. Illi enim quum dicebant *sapiens, serpens, natus, factum, meritum,* alia, non participiis, sed substantivis sese uti existimabant. In utraque tamen lingua sedulo observanda est loquendi consuetudo, ne aliena immisceantur. Apud Graecos certe ἐπαρκέσων, vel simile participium futuri, ne cum articulo quidem, nedum, ut hic, sine articulo, substantivorum modo cum genitivo iungi videtur. Donec igitur certiora huius dicendi rationis exempla afferantur, dubitare licebit. Ac Lobeckius quidem quantum suae ipse sententiae tribuat, ex his eius verbis colligi potest. »Licet vero, inquit, nulli horum participium ἀρκέσων aequiparari possit, tamen gliscit suspicio poetam (nisi scripsit ἔτ' ἄρκος ὄντ') qualicunque similitudinis specie inductum illud substantivorum modo construxisse.« Wunderus cum Reiskio πημονὰν ἐπαρκέσοντ' corrigit; Hermannus in censura libelli: *Ueber Christ. Aug. Lobeck's neue Ausgabe des Sophocleischen Aias. Eine Recension von Ed. Wunder.* edita in Ephemer. literar. antiq. an. 1838. N. 43 sqq., ἐπάρκεσιν legendum esse suspicatur pro ἐπαρκέσοντ', ratus, posterius illud natum esse ex ἐπάρκεσιν et adscripta glossa ὄντα. Aliam viam novissimus Aiacis editor Apitzius Berolinensis ingressus est, cui ποιμένες sunt ministri; quam ille notionem probari posse existimat loco Hom. Od. δ, 87:

ἔνθα μὲν οὔτε ἄναξ ἐπιδευής, οὔτε τι ποιμήν.

ubi ποιμένα apparet esse non ministrum, sed pastorem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Equidem *ποιμένας* neque Aiacem ipsum, nec amicos eius intelligere possum, sed, uti par esse videtur, reges et duces Graecorum, Agamemnonem, Menelaum, Ulixem, alios. Et pendet genitivus ex *μόνον*, id quod ipsa verborum structura probabile reddit. Est autem *μόνος* h. l. idem, quod *μονωθεὶς* s. *ἄνευ*, et dicitur *μόνος ποιμένων*, quemadmodum *στέγαι φίλων ἔρημοι* El. 1397. et *πάντων ἐρήμους* Oed. R. 1496. Nec tamen exempla desunt, quae ipsum *μόνος* eodem modo cum genitivo iungi evincant. Ai. 506: *σοῦ διοίσεται μόνος ὑπ' ὀρφανιστῶν μὴ φίλων*, ubi nec sententia, nec structura potest ambigua esse. Sed trahendus huc etiam videtur locus Oed. Col. 1251 sqq.:

καὶ μὴν ὅδ' ἡμῖν, ὡς ἔοικεν, ὁ ξένος
ἀνδρῶν γε μοῦνος, ὦ πάτερ, δι' ὄμματος
ἀστακτὶ λείβων δάκρυον ὧδ' ὁδοιπορεῖ.

ubi Brunckium probo, ita haec verba reddentem: *gradum huc confert hospes ille incomitatus, ora rigans lacrimis.* Referri enim haec debent ad id, quod precatus fuerat Oedipus supra vs. 1208 sq.:

μόνον, ξέν', εἴπερ κεῖνος ὧδ' ἐλεύσεται,
μηδεὶς κρατείτω τῆς ἐμῆς ψυχῆς ποτέ.

h. e.: *illud tantum precor, ne quis voluntatem meam sub suam potestatem redigat;* quo metuere sese Oedipus significat, ne non solus veniat Polynices, sed cum comitibus, vim patri illaturus. Hinc, ut quam primum omnem eius animo metum eximat, Antigone adventare Polynicem dicit non solum sine ullis comitibus, *ἀνδρῶν μοῦνον*, sed moerore etiam affectum lacrimasque profundentem.

Certum est igitur, *μόνος* passim pro *ἄνευ* dici; hoc autem loco ut sic dici existimem, adducor etiam verbo *ἐπαρκεῖν*, quod iam non significat opem ferre, sed satis valere ad aliquid, maxime ad opem ferendam. Antig. 607 sqq.:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τό τ᾽ ἔπειτα, καὶ τὸ μέλλον,
καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει.
νόμος ὅδ᾽ οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

Ita enim ibi cum libris omnibus et legendum et distinguendum censeo. Sententia est: Tu, Iupiter, senectuti non abnoxius, aeternis imperiis Olympi splendidam lucem regis, et porro, ut ante, ita posthac, satis tibi valebis (ἐπαρκέσει). Haec sors nequaquam cadit in hominum vitam (νόμος ὅδ᾽ οὐδὲν ἕρπει θνατῶν βιότῳ), per omnes civitates calamitatis expers (πάμπολις ἐκτὸς ἄτας); h. e. longe diversa est imperii humani ratio, quippe quod ita comparatum sit in omnibus civitatibus, ut sine malis sit nusquam. Recte igitur scholiastes: σὺ μὲν ὦ Ζεῦ ἀγήρως τε καὶ δυνάστης εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον εἶ· ἡ δὲ τῶν ἀνθρώπων πολιτεία οὐδέποτε χωρὶς κακῶν ἐστιν. Iam vero qui satis valet ad aliquid, hunc, quum μόνος ἄλλων satis valere dicitur, non *solum ex aliis*, sed *solum sine aliis* satis valere iudicamus. Planius Sophocle Xenophon Cyrop. 4, 3, 7: ὁπότε γὰρ ἢ παρεῖναι ἢ ἀπεῖναι βούλοιντο, ἧττον ἂν ἡμῖν μέλοι, εἰ αὐτοὶ ἄνευ τούτων ἀρκοίημεν ἡμῖν αὐτοῖς.

Quae si recta sunt, in hunc modum loci, quo de nunc agitur, constituenda erit sententia: »Vos ego vel sine ducibus satis valituros esse scio.« Nihil auxilii iam a ducibus exspectandum mihi est. Turpiter illi me fefellerunt ac deseruerunt. Vos, qui soli non mutavistis animum (μόνοι ἐμῶν φίλων, μόνοι τ᾽ ἐμμένοντες ὀρθῷ νόμῳ, vs. 341 sq.), vos ego vel sine perfidissimorum illorum hominum auxilio satis valituros esse scio ad opem mihi ferendam. Nihilo minus morituro mihi manum commodate; ἀλλά με συνδάϊξον. H. e. quamquam vos vel sine ducum auxilio satis firmum praesidium mihi futuri estis, tamen nihil iam, nisi hoc a vobis peto, ut me occidatis. Sic ἀλλὰ usurpatum est Soph. Ant. 970 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τηλεπόροις δ' ἐν ἄντροις
τράφη θυέλλησιν ἐν πατρῴαις
Βορεὰς ἄμιππος ὀρθόποδος ὑπὲρ πάγου
θεῶν παῖς· ἀ λ λ ὰ κἀπ' ἐκείνᾳ
Μοῖραι μακραίωνες ἔσχον, ὦ παῖ.

vs. 400 sq.

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας.

Horum omnis difficultas versuum inde exorta videtur, quod τὰ μὲν et τοῖσδ' vulgo opposita esse existimantur. Quod longum est commemorare, quam varias cum explicandi, tum etiam emendandi pepererit rationes. Ex his insignem nuper praeter ceteras auctoritatem Lobeckii nacta est coniectura, qui mutato τοῖσδ' in τίσις δ', hanc esse poetae sententiam suspicatur: »si honore et dignitate, qua olim florebam, privatus sum, ultio autem prope instat, quam provocavi pecudum caede Achaeis destinata, iique mox in me irrupturi sunt.« Dindorfius »verba manifeste corrupta« sic corrigenda censet: τίσις δ' ὁμοῦ πέλει. Wundero autem ita corruptus esse videtur hic locus, ut, quid dictum fuerit a poeta, nulla coniectura divinari queat. Hermannus, eiecta molesta voce πέλας, nova coniectura ita locum nuper refinxit:

εἰ τὰ μὲν φθίνει,
ὦ φίλοι, φίλοι,
τοιοῖσδ' ὁμοῦ, μωραῖς δ' ἄγραις προσκείμεθα.

Quibus ut respondeat antistropha, infra legi iubet:

ἐξερέω μέγα,
οἷον οὔτινα
Τροία στρατοῦ δέρχθη χθονὸς μολόντ' ἀπό.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vide *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft*, an. 1838. fasc. IV. pag. 386. *Τὰ μὲν* autem ultionem intelligit, fere ut Matthiae ad Eurip. Suppl. 530: *wenn die Rache mit solchen Dingen verloren geht.* Alii alia tentarunt. Itaque ut illis data est corrigendi venia, ita et mihi, spero, dabitur defendendae loci integritatis. Ac primum quidem metricae leges nullam flagitare mutationem videntur. Versui *τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας* in antistropha respondet *τινὰ Τροία στρατοῦ*, ubi longa syllaba prima soluta est in duas breves, ut paullo ante vs. 496. in *ὀλέθριον*, quae vox dactylum efficit. Deinde vero quod verba *τὰ μὲν* referunt vulgo aut ad vindictam, aut ad dignitatem et honorem, quae cum pecudum caede Aiaci perierint, ea mihi dura et contorta explicandi ratio esse videtur, siquidem nulla in prioribus versibus nec vindictae, nec dignitatis, qua privatus fuerit Aiax, fit mentio, ad quam *τὰ μὲν* commode referri possit. Postea demum non satiatam vindictae cupiditatem Aiax deplorat verbis *μωραῖς δ' ἄγραις προσκείμεθα.* Nam *ἄγρα* est Atridarum et Ulixi persecutio, quae *μωρὰ* dicitur, quia successu caruerat, dum pecudes pro illis occiderat. Quum igitur *μωραὶ ἄγραι* per particulam *δὲ* opponantur antecedenti *τὰ μέν*, apparet, voces *τὰ μὲν* non posse et ipsas ad vindictam spectare. Sed diligentius sententiarum series consideranda videtur. Supra vs. 380 sqq. Aiax dicit: Utinam Ulixe peremto ipse mortem oppetam. Ad haec Tecmessa vs. 385 sq.:

ὅταν κατεύχῃ ταῦθ', ὁμοῦ κἀμοὶ θανεῖν
εὔχου· τί γὰρ δεῖ ζῆν με σοῦ τεθνηκότος;

Inde maiorem etiam dolorem Aiax concipit, quod coniunctissimos quosque studiis et amore ita oppressos aerumnis et suorum quadam malorum contagione quasi infectos intelligit, ut mori et ipsi malint, quam illius videre mortem. Unde pulchre ille:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖσδ᾽ ὁμοῦ πέλας;

Quo igitur confugiam? quo recedam ex hominum conspectu? si, quidquid propinquum mihi est, id una mecum in perniciem traho; et inanis est ultionis spes, omnisque me exercitus occidere poterit? Ex his intelligitur, quamnam verborum structuram esse existimem. Iungendum est τὰ μὲν πέλας, quo quamquam universe tantum Aiax loquitur, unam tamen Tecmessam significat, et dicitur hic τὰ πέλας, qua notione alias τὰ φίλτατα, quo et uxor, et liberi, et quidquid carum est, designatur. Vide Matth. Gr. Gr. §. 438. pag. 819. Simili modo infra vs. 1129 sq.:

ἐγὼ δέ γ᾽ ἄνδρ᾽ ὄπωπα μωρίας πλέων,
ὃς ἐν κακοῖς ὕβριζε τοῖσι τῶν πέλας.

ubi οἱ πέλας non alii quicunque esse possunt, sed illi, quibuscum necessitudine quadam coniuncti sumus. Ea autem interpretatio si cui forte idcirco minus placuerit, quod πέλας nimis remotum ab articulo suo sit, hunc ego reiicio ad Electr. 135 sq.:

ἀλλ᾽ οὔ τοι τόν γ᾽ ἐξ Ἀΐδα
παγκοίνου λίμνας πατέρ᾽ ἀνστάσεις.

ubi totidem interiectis verbis πατέρ᾽ ab articulo τὸν seiungitur.

Sed quaeret fortasse aliquis, cur non ita locutus sit Sophocles:

εἰ τὰ μὲν πέλας, φίλοι,
τοῖσδ᾽ ὁμοῦ φθίνει.

Ea enim verborum collocatione omnis obscuritas sententiae removeri potuisse videtur. Sed quum ubivis liberior verborum constructio poetis concedatur, tum in lyricis maxime carminibus et in chori canticis ea illis venia datur. Hic vero etiam prudenti consilio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verborum ordo inversus esse videtur. Proprie enim dicendum erat: *εἰ τὰ μὲν τοῖςδε πέλας ὁμοῦ τοῖςδε φθίνει, si quidquid propinquum mihi est, una mecum occidit;* nam *τοῖςδε* et ad *ὁμοῦ* et ad *πέλας* pertinet. Omisso autem altero *τοῖςδε*, relinquebatur: *εἰ τὰ μὲν τοῖςδε πέλας ὁμοῦ φθίνει*, pro quo, quum *ὁμοῦ* magis, quam *πέλας*, dativum personae requirere videretur, Sophocles dixit: *εἰ τὰ μὲν τοῖςδ' ὁμοῦ πέλας φθίνει.* In *τοῖςδε* autem eadem poeta numeri enallage usus est, qua in *τὰ πέλας*, et bene etiam pluralis congruit cum sequenti *προςκείμεθα.* Sicut enim verbis *τὰ πέλας* una Tecmessa significatur, ita etiam *τοῖςδε* pro *τῷδε* dicitur, h. e. *ἐμοί.* Hic igitur locus adnumerandus erit duobus illis, in quibus solis Ellendt. Lex. Soph. s. *ὅδε* p. 268. *ὅδε* nullo adiecto substantivo pro *ἐγὼ* dici affirmat.

Non temere igitur verba *εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τοῖςδ' ὁμοῦ πέλας* referre mihi videor ad Tecmessae orationem: *ὅταν κατεύχῃ ταῦθ', ὁμοῦ κἀμοὶ θανεῖν εὔχου,* quum et leges grammaticae et sententiarum cohaerentia eam interpretationem postulare, nec metricae leges ullam mutationem suadere videantur.

vs. 662 sq.

ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
ἐγὼ δ', ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι,
ὅτ' ἐχθρὸς ἦμην ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος,
ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Dicit Aiax: Reverendi sunt Atridae, imperatores enim sunt. Neque id turpe mihi esse potest, quandoquidem in reliqua etiam rerum natura potentissima et atrocissima passim superioris alicuius honori cedunt. Nos vero quidni discamus modestiores esse?

ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae sequuntur, ita in omnibus libris MSS. leguntur:

ἐγὼ δ', ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι,
ὅτ' ἔχθρος ἦμην cet.

nisi quod Dindorfius in La. exstare dicit ἦμην cum superscripto ἡμῖν, in Lb. ἡμῖν γρ. ἦμην. Suidas etiam ed. Mediolan. in voce ἄημα et in ἐχθραντέος habet ἦμην; at ed. Bas. s. v. ἐχθραντέος habet ἡμῖν, quod ibi etiam agnoscit Suidae cod. Par. A. apud Dindorf., quum tamen idem cod. s. v. ἄημα, et sub eadem voce etiam ed. Bas. habeant ἦμην. Nihilo minus Kuesterus in ed. Suid. v. ἄημα, et Bentleius in adnotationibus MSS., in Britannorum diario classico vol. XXVI. editis, pro ὅτ' ἐχθρὸς ἦμην correxerunt ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν, quod inde a Brunckii temporibus omnes editores Sophoclis receperunt. Pro ἐγὼ δ', quod alienum videbatur, Brunckius dedit ἔγωγ', Hermannus in ed. prima de Porsoni coniectura ἐγῷδ', in altera ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, statuens cum Wundero, δὲ γὰρ eodem modo iungi posse, quo solent ἀλλὰ γάρ, eamque dicendi rationem exemplis illustrarunt Fritzschius Quaest. Lucian. pag. 63. et Stallbaum. ad Platon. Apol. 28. Lobeckius post ἐγὼ δ' omissum esse censet γνώσομαι, in tanta verbi γνωσόμεσθα vicinitate facillime intelligendum. Quaerit enim Aiax: ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν; Ad haec ipse respondet ἐγὼ δέ, ubi δὲ legitimo usu ponitur. Nam δὲ particula pronominis vim auget. Oed. R. 1089: ἰήϊε Φοῖβε, σοὶ δὲ ταῦτ' ἀρέστ' εἴη. Idque in responsionibus maxime fit. Xenoph. Cyrop. 6, 1, 49: καὶ ὁ Κῦρος εἶπεν· ἐγὼ δὲ δέχομαι. Adde 4, 5, 23. 5, 4, 10. Cui non dissimilis est Romanorum consuetudo, qua in responsionibus utuntur particula *vero*. Cic. Fin. 4, 28, 80: *Nunc quidem hactenus: verum hoc idem saepe faciamus. Nos vero, inquit ille, nam quid possumus facere melius?* ubi eodem modo post *nos vero* omissum est *faciemus*, quo apud Sophoclem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

γνώσομαι post ἐγὼ δέ. Tum vero sequenti particula γὰρ caussa redditur, quare ipse se modestiorem gerere velit. Quod autem vulgo nunc legitur: ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος, ὡς καὶ φιλήσων αὖθις, in eo ἡμῖν, sive explicatur *nobis hominibus*, sive pro ἐμοὶ dicitur, prorsus alienum est. Dicit Aiax: Ego discam σωφρονεῖν, scio enim nunc demum, inimicum ita nobis odio persequendum esse, ut qui amare rursus possit. Verum id ipsum est σωφρονεῖν. Quomodo igitur discere vult, quod iam scire sese gloriatur? Eodem vitio sententia laborat, si quis ἡμῖν ad solum Aiacem referre maluerit. Accedit, quod Aiax tum id sese expertum scire affirmat, quod adhuc nequaquam expertus scire potest. Unde enim nuper demum ille cognoverat, inimicos ita odio sibi persequendos esse, ut qui amare rursus possent? Nullus enim inimicorum odisse eum desierat, nullius ille in se mentem mutatam cognoverat. Praeterea offendor etiam particulis τε — τε, quibus iam coniunguntur sententiae, quarum altera alteri opposita est; tota denique offendor sententiae structura, informi et neglecta: ὅτι ὁ ἐχθρὸς ἡμῖν — ἐχθαρτέος — ἔς τε τὸν φίλον — βουλήσομαι, quam ego Sophocle indignam esse iudico. Quid est igitur, quod dicit Aiax? Desierat ille odisse Atridas, suoque ipsius exemplo cognoverat, quam varia ac mutabilis esset hominum voluntas. Unde hoc, credo, dixit: Sicut ego nunc odisse desii inimicos, ita et amici desinere possunt me amare. Hanc ob caussam et in amore erga amicos et in odio adversus inimicos modus quidam observandus est, δεῖ σωφρονεῖν. Proprie autem sententia, quae per γὰρ particulam effertur, poni debebat post illa ἔς τε τὸν φίλον — μενοῦντα. qua de dicendi ratione vide Matth. §. 615. pag. 1242. dicendumque in hunc fere modum erat: ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν; ἐγὼ δὲ γνώσομαι, ἔς τε τὸν φίλον τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι, ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα· ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, ὅτι, ὅτ' ἐχθρὸς ἦν, ἦν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος, ὡς καὶ φιλήσων αὖθις.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Servandum igitur ὅτ᾽, quod omnes libri manuscripti agnoscunt, et pro suspecto apud tragicos imperfecto ἤμην legendum ἦν ἦν, quorum prius cum ἐχθρός, posterius cum ἐχθαρτέος iungendum. Hoc non perspexisse videtur vetus quidam librarius, quo factum est, ut utrumque ille, ratus alterutrum redundare, contraheret in ἤμην. Sic igitur hic locus legendus esse videtur:

ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
ἐγὼ δ᾽, ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι,
ὅτ᾽ ἐχθρὸς ἦν, ἦν ἐς τοσόνδ᾽ ἐχθαρτέος,
ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
τοσαῦθ᾽ ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Ubi duplex ἦν non magis aures offendere posse videtur, quam quod legitur Oed. R. 371:

ἀλλ᾽ ἔστι, πλὴν σοί. σοὶ δὲ τοῦτ᾽ οὐκ ἔστ᾽.

Sensus: Quum igitur universa rerum natura modestiam praecipere videatur, quidni nos discamus σωφρονεῖν? Ego vero. Nam nunc demum cognovi, me tum, quum inimicus eram, odio quidem persequendum fuisse, sed ita tamen, ut memores esse deberent inimici mei, posse me aliquando et amicum fore. Itaque et amicos ego officiis quidem iuvabo, sed ita tamen, ut memor sim, posse eosdem aliquando fore inimicos:

τοῖς πολλοῖσι γὰρ
βροτῶν ἄπιστός ἐσθ᾽ ἑταιρείας λιμήν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed redeundum iam eo est, unde egressi sumus. Indicimus enim Gymnasii nostri sacra anniversaria, Cal. Nov. post horam decimam matutinam solemni more celebranda. In quibus ut vos, AMPLISSIMI COMITES CONSISTORIANI AC RELIQUI REIPUBLICAE PROCERES ET OPTIMATES, GYMNASII PRAESIDES PERILLUSTRES, SUMME VENERABILES, INSPECTORES GRAVISSIMI, ET QUOTQUOT ESTIS BONARUM ARTIUM FAUTORES ET PATRONI, frequentes adesse velitis, pie verecundeque rogamus.

Prodibunt autem, verba facturi, delecti ex prima Gymnasii classe adolescentes quatuor:

Mauritius Carolus Guilielmus Laurentius, Altenburgensis, qui oratione latina exponet, *qui fiat, ut de magnorum virorum meritis posteri plerumque rectius quam aequales iudicent;*

Carolus Alfredus Schubert, Ronneburgensis, qui *de imperiis Manlianis* (Liv. VIII, 7.) dicet sermone patrio;

Iohannes Alfredus Erbe, Altenburgensis, qui *Ernesti Pii, Ducis Gothanorum et Altenburgensium, laudes* celebrabit carmine latino;

Theodorus Westhoff, Rodanus, qui *Germanorum patriam* canet carmine germanico.

Quorum adolescentium dicendi conatus dum piis votis ipsi prosequimur, benevolentiae et indulgentiae Vestrae etiam atque etiam commendamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed redeu mus. Indicimus enim Gymnasii ov. post horam decimam matut quibus ut vos, AMPLISSIMI COMT CAE PROCERES ET OPTIMATES, GY ME VENERABILES, INSPECTORES GR ARTIUM FAUTORES ET PATRONI, fre eque rogamus.

Prodibunt prima Gymnasii classe adolescer

Mauri entius, Alten-
bu t, *qui fiat, ut*
de steri plerumque
re

Carol eburgensis, qui
de) dicet sermone
pa

Iohan sis, qui *Ernesti*
P gensium, laudes
ce

Theod ii *Germanorum*
p

Quorum a s votis ipsi pro-
sequimur, ben iam atque etiam
commendamus.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf